



~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.



QUOD ALTISSIMUS BENE VERTAT,  
DISPUTATIONEM POLITICAM

*De*  
**MAJESTATIS**  
ABSOLUTA POTE-  
STATE

IN INCLUTA WVITEBERGENSE  
ACADEMIA  
TUEBITUR

JOHANNES OZTROZITH  
de GHYLETHINZ, LI-  
BERBARO IN ILLAWA &c.  
PRÆSIDE

M. GEORGIO GUTKIO Colonienſi  
Marchico, Facultatis Philoſophi-  
cæ Adjuncto.

*Ad diem 9. Novembris*

WVITEBERGÆ  
Ex officina Typographica JOHANNIS  
RICHTERI.

Anno M. DC. XVI.







ILLUSTRI &  
FICO DOM

STEPH

OSZTROZ  
GHYLET

LIBERO BARONI IN ILLAWA

*Dn. PATRUI SUO COLENDIS-*  
*SIMO, CHARISSIMO.*


EXERCITIUM HOC ACADEMICUM

*SACRAT*

JOHANNES OSZTROZITH DE  
GHYLETHINZ ET IN ILLAWA, &c.

*AUCTOR ET RESPONDENS.*





**A**ntum quemlibet debere ijs, per quos vivit, quantum illis, à quibus vitam accepit, res ipsa clarè loquitur, historiæ confirmant luculenter. Magnis ex rebus fateor, vita hominum est, sed hoc navi habet, quod nobis cum belluis communis. Hæc namq; ut non rarò ventri solum obediens est; ita fluxa & fragilis meritò judicatur. Adeò quidem ut cum mortalibus foedè sæpissimè pereat. Quanti contra æstimandum erit illud, quod vitæ nostræ quasi altera anima est, quove vitæ brevitate memoriâ nostri longè maximâ compensamus, immo affinitate quadam cœlestes genios attingimus. Beatitas vitæ naturali tanquam rectrix electa illud præstat, quam non à vulgi iudicio, sed à seipsa æstimemus. Hac gloriam quærere Reges sapientissimi & fortissimi etiam rectum & æquum putarunt. Alexander Magnus plus vitæ beatæ, quam naturali tribuit, dum hanc parenibus, illam ductoribus, & doctoribus adscripsit. Laudis bellicæ aquilam appellant Julium Cæsarem Scaliget, ob potentiam cum Prudentia conjunctam. Perit prudens etiam, sed præclare, cum prudentia in vita ejusdem immortalis.

Prævidit diu hoc Magnificentiæ Vestra, Illustris & Magnifice Domine, Patruæ colendissime, & pro singulari suo erga me affectu me adhortata est, ne vitam silentio transigerem? Rebus namq; humanis exemto Dn. Patre meo charissimo Illust. & Magn. Dn. Andrea Oztrozith &c. Sac. Reg. Majest. Tabulæ judiciariæ assessore Barone, ingenuis imbuerer scientijs, sedulo M. V. annixa est; florentissimum Iglaviense gymnasium ut adirem auctor extitit; tandemvè Inclutam hanc Witebergensem Aca-



demiam pro studijs meis pertexendis mihi unice com-  
mendavit.

Quæ beneficia indefinenter animo obiens diu  
cogitavi, quodnam gratitudinis & observantiæ signum  
M. V. erigerem, sed cogitanti præter exercitium Acade-  
micum commodius occurrit nullum. Quia igitur ad-  
huc memoriæ inhærebat, quanta cum benevolentia M.  
V. Orationem meam Iglaviæ habitam & M. V. Inscri-  
ptam acceperit, non potui non præsentem disputatio-  
nem. I. M. V. grato animo offerre. Non potui non of-  
ferre, quia debui; quia M. V. viam vitæ honestè pieq;  
traducendæ mihi monstravit.

Quam pietatem hujus disputationis inscriptione vo-  
lui recolere, qua non tam studiorum meorum rationem,  
quam animi gratitudinem M. V. sistere placuit. Jeho-  
vam imploro, ut M. V. diu salvam & incolumen  
diurnet. Wittebergæ Cal. Novembr.

Anno clō. DC. XVI.



DIS-





DISPUTATIO  
DE  
MAJESTATIS POTESTATE ABSOLUTA

*Proloquium.*



*Amplum & illustre esse regum munus quod sustinent, divina rebus omnibus cum Creatore harmonia exactè probat. Res omnes moderatur Deus, omnibus prospicit nec non ab injuria immunes præstat. Quid hic cum Deo commune reges habent. Multum sanè. Communicat à divinitus prudentia præfunt pluribus, leges & jussa ponunt; maria, terras, pacem, bella moderantur. Divinitas quædam videtur hæc dignitas: & est profectò, inquit Lipsius, si salutariter atq; ex usu publico administratur. Hinc dicitur Majestas sive regia potestas sancta & semper inviolabilis. Libera namq; est, parere nescit; Legem Dei sanctè servat, & ad subditorum, quod Legis Naturæ principia exigunt, salutem omnia refert. De hujus interna constitutione varij scripsere varia; varij statuere varia quorum enumeratione ob instituti rationem nunc quidem supersedeo. Illi, quibus*

*De meliore luto sinxit præcordia Titan,  
naturam ejus in summa & legibus soluta potestate collocant, idq; rationibus firmissimis adeò probant, ut contradictioni ferè nullus sit relictus locus. In nobilissima hujus doctrina naturam hac disputatione inquirere mens est, quousq; scilicet Majestas sese extendat. Tu DEUS auctor & vindex omnis Majestatis largire successum, ut feliciter apponatur.*



## QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum Majestatis potestas adeò absoluta sit, ut nec  
successor antecessoris decretis & promissis  
obligari queat.*

*Quocunq; te veritas hic, difficultatem longe maximam reperies,  
cum utraq; pars tam affirmans quàm negans quæstionis probabilis  
videatur. Affirmantis partis hæc afferuntur rationes.*

*I. Quod semel Legi naturæ consonum judicatur, illud abrogari  
nequit à successore. Atqui decreta & promissa antecessoris semel fuerunt ju-  
dicata consona legi naturæ; Ergo ab antecessore tolli nequeunt.  
Major est certa. Quod enim semel est æquum, in æternum iniquum  
reddi nequit. Quando autem decreta abrogantur, sine macula  
iniqui non tolluntur. Minor probatur, quia decreta illa juxta legem  
naturæ, & in utilitatem regni fuerunt fixa, unde æquitate gaudent.*

*Quod enim normam habet Legem naturæ, & finem utilitatem  
subditorum, æquum omnino & justum est.*

*II. Ad praxin florentissimorum regnorum Politico semper est respi-  
ciendum. Atqui Praxis florentissimorum regnorum nobis sistit decreta  
aut statuta semper inviolabilia. E. ex eadem sequitur quæstionis  
hujus affirmativa. Major patet: quia est principium Politicum. Minor  
probatur exemplis: Persarum certè Monarchia florentissima fuit, in qua  
religio erat, leges non servare, ut semel latae fuerant. Plutarchus in  
Themistocle. Hanc legem urgebant, qui à Dario exigebant, ut Da-  
niel leonibus obijceretur: scito, dicunt, quia lex Medorum atq; Persa-  
rum est, ut omne decretum, quod constituerit Rex non liceat immutari  
Dan. 6.*

*III. Quod illi cui magis inesse videtur, non inest, multo minus illi cui  
minus inesse videtur inest. Atqui Antecessori Regi non inest à sua absc-  
dere lege. Ergo multo minus successor, qui Reipublicæ non minus  
obligatus est quam antecessor. Hic enim, quia expediebat. Reipubli-  
cæ lex, eam mutare non potuit; Ergo nec successor mutare poterit,  
quia adhuc eadem expedit. Ubi enim par ratio, ibi eadem illatio. Hinc  
appo-*



apponuntur clausulæ: *nec nostris, nec filiorum & Deo dispensante* successorum temporibus quicquam mutetur: *Hac edictali & perpetuum* valitura lege sancimus.

*Andreas Rex Ungarie* leges suas ita conclusit: *Et ut hæc nostra* tam concessio, quam ordinatio sit nostris nostrorumq; successorum temporibus in perpetuum valitura &c. *In decret. Andr. Reg. vers.* Item præter hos *An. 1222.* Unde Ungari, quam Andreas concessit, potestate contradicendi regibus, si leges immutare aut minus observare voluerint, libere usi sunt. Nam à Ludovico I. earum confirmationem exegerunt, ut ipse testatur in decreto quod incipit: *Nos igitur petitioni An. 1351.* Item à Matthia Corvino cujus extat decretum, incipiens. *Matthias & c. cum laudabilis felixq; sit Resp. An. 1464.* Albericus item quando in statutis suis *An. 1439. vers.* Primo quod antiquas leges & consuetudines regni, & libertates regnicolarum reducere promittit, & *Uladislaus II.* quando recepit in genere omnes immunitates privilegia & leges antiquas conservare, *Andreas* quoq; regis statuta procul dubio inclusa vna intelligunt *Vid. Bonfinius Histor. Ung. dec. 3. lib. 9. Arnif. de Jur. Majest. lib. 1. cap. 7.*

Negativa pars hisce utitur rationibus & monet, quod sermo sit de eadem. *Reipubl. forma, quia si mutatus fuerit Reipubl. status, alia* dubitatio est an pactis & foederibus, quæ sub abolita formâ contracta sunt, standum sit, quam ab Aristotele *3. Polit. x. tangi auctor est Arnif. l. a.*

I. ratio est: Remoto genere remonentur omnes species. Atqui à majestate remouetur subjectio legis, dum definitur eadem summa & legibus soluta potestas. E. remouetur ab eadem subjectio hujus legis. E. etiam immunis erit à lege & decreto antecessoris. Qui enim nulli subijcitur legi, idem nec antecessoris lege tenebitur; qui præter Deum non agnoscit superiorem, ille nec decreto antecessoris se subijciet.

Major argumenti dati non eget probatione, quia est axioma Logicum. Minor patet per definitionem Majestatis.

El.

Par pari nihil præscribere potest

Antecessor est par successor.

E. Ante-



*E. Antecessor successori nihil prescribere potest. Major patet. Minor non probatu facilis est. Loquimur enim de antecessore & successore in eadem Reipubl. forma, ubi in successorem majestas integra derivatur. Hinc etiam David, licet jurasset Simei: non morieris 2. Reg. 19. non putavit successorem eo juramento teneri, cum moriturus id ipsi singulariter præciperet: tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens est ut scias, quæ facies ei, deducesq; canos ejus, cum sanguine ad inferos 3. Reg. 2. v. 9. Hinc quoq; confirmatio privilegiorum à successore petitur.*

*Concludimus ergo, nos subscribere parti negativæ ob rationes, quas habet firmiores, eam statuentes veram esse, ubi in hæreditaria potestate absoluta succeditur.*

*Nam quod attinet regna, quæ ex pacto adeuntur, licet ibi leges antecessorum servantur, tamen nostræ sententiæ nihil derogatur, cum leges ibi servantur, non quasi potestas antecessoris liget successorem, sed quod subditi ita cum futuro rege paciscantur. Qui enim alteri legem dicit superior sit necesse est: Atqui antecessor in tali regno non plus habuit potestatis, quam successori relinquit. Esset præterea iniquum, si antecessori liceret successoris conditionem deteriore facere, debitamq; ipsi libertatem auferre.*

*Ad rationes partis affirmativæ nunc respondendum, & quidem ad primæ ad Majorem; eam veram esse de eo, quod directè ex lege naturæ fluit, ut honeste vivere, neminem lædere, quæ nunquam jure tolli possunt; non vero semper veram esse quando legis naturæ principia ad certam temporis, lociq; circumstantiam applicantur, nam loco tempore & personis variantibus, varietas quoq; in legibus efficitur. Nec sequitur, quando decreta tolluntur, quod statim judicentur iniqua fuisse. Immo decreta retineri possunt, nec tamen sequitur majestatem & successorem illis teneri; retinere illa potest, sed non jisdem cogi.*

*Ad 2. respondemus concedendo suo in sensu majorem, & negando minorem, ejusq; diluendo probationem. Quod enim de Persis fuit propositum, non ita accipiatur, quasi non potuerint legibus suis obrogare, cum etiam lex apud illos inventa & Cambyfi communicata fuerit: Regi licere, quicquid libere. Et Darius Daniele liberato, &*



to, & consultoribus in foveam leonum projectis, manifestè indica-  
vit, ab his deceptum se esse, nec tam pertinaciter iniquæ legi standum fuisse,  
quam etiam abrogavit statuto è contrario, ut Deus Danielis ubiq; co-  
leretur & adoraretur.

Ad 3. dicimus non fieri comparisonem in debitis gradibus. Præ-  
missæ volunt, quod Rex non debeat abscedere illa lege quam fixit.  
Infertur E. non licet successori abscedere ab eadem, cum tamen infe-  
rendum fuisset. E. nec licet successori abscedere ea lege quam ipse (suc-  
cessor) figit. Præterea quando successor videt utilitatem legis, liberè  
eam retinet, non ad eandem retinendam simpliciter alligatur.

Clausulas illas quod spectat distinguunt saltem eæ leges æternas à  
temporariis quæ ad tempus latæ, vel certū vel indefinitum cum termino  
ipso etiam vivente conditore expirant. Unde clausulis istis per alias  
sæpe derogatur, nec valent istæ clausulæ privilegiorum, nisi à suc-  
cessoribus eadem fuerint confirmatæ.

Nec exempla illa contra nos. Ludovicus I. Ungaria Rex nullo jure  
obligatum se putavit ad leges Andrea confirmandas, sed id se largiri di-  
cit fidelibus servitiis subditorum, quæ in vindicanda nece Andrea ex-  
peditione Siciliensi præstiterant.

Matthias quoque supplicatione unanimi suorum se per motum dicit  
ut easdem ratas esse sineret. In decreto supra citato.

Ludovicus enim nonnulla in ijs correxit, & Matthias plurima con-  
tra leges innovavit quæ coactus fuit Uladislavus. II. irrita pronunciare,  
siquidem ab eo tempore Ungari cæperunt aliunde accitos reges du-  
rioribus legibus circumscribere & ad sceptrum non nisi certis condi-  
tionibus admittere, sicut Johannes Veradiensis Episcopus Uladis-  
lavum alloquitur: si conditiones acceperis, regem te salutamus, nec  
prius coronam accepit, quam Stephano Bathori, nomine Rei-  
publ. ut acceptas conditiones publico juramento confirmaret ex-  
igenti satisfecisset. Hec & similia peti possunt ex Bosinnio Hist. Ung.  
d. 3. lib. 9. & 10.

QUÆSTIO SECUNDA.  
An successor nulla de causa leges antecessoris  
servare debeat.

B

Maje-



*Majestatis jura integra qui possidet non teneri lege antecessoris, quæstio præcedens dedit probatam: nunc nova quæstio exsurgit, anne inde sequatur, quod nullas leges successor servare debeat. Multi quidem, quos principia practica latent descenderent in affirmativam, quibus nos ut contrariæ parti faventes hæc opponimus argumenta,*

*I. Utilia Reipubl. sunt retinenda*

*Quædam lex antecessoris est utilis Reipubl.*

*E. quædam lex antecessoris è retinenda.*

Major patet: quia legem utilem Reipubl. si invenit successor, tantum abest, ut eam abrogare debeat, ut potius si nulla esset, eam ferre teneatur, ad id obligante eum tam divino, quam humano jure ipsoq; ejus officio, ex quo omnia facere tenetur quæ Reipubl. profutura prævidit.

*II. Quodcunq; jus incertum reddit, illud sedulo est evitandum. Atqui crebra legum mutatio jus incertum reddit*

*E. crebra legum mutatio sedulo est, evitanda.*

Major est certa. Minor probatur quia ex illa mutatione oriuntur quasi ambulatorij magistratus, novus ibi Rex nova lex; nec de jure ita quis piam certus esse posset magistratu prohibitu omnia mutante. Leges enim sunt sponsio & vinculum Reipubl. cujus compagem quoque dissolvi necesse est, leges quando dissolvuntur. Concludimus igitur non conducere principi ad mutationes si nimis proclivis & facilis est, sed potius è re ejusdem esse, utiles leges & consuetudines antecessoris si fovet & protegit.

### QUÆSTIO TERTIA.

*An etiam malæ leges retineri debeant?*

*Leges in bene constituta Reipubl. nihil aliud esse, quam virtutes armatas utiliter monuit, qui monuit.*

Ex justitia enim fluunt eadem, & justitiæ auctoritatem conservant. Mirabitur sanè non sine causa aliquis cur dicamus leges malas. Virtutes enim armatæ si leges; malæ certè erunt virtutes armatæ vitiosæ. Sed salva res est: *Circumstantias rerum & personarum pensi semper habere politici est. Leges malas autem appellat non eas quæ à pessimis*



peſſimis hominibus lata ſunt, quandoquidem à peſſimis etiam optime pro-  
manare poſſunt leges, quemadmodum pater ſceleſtiſſimus filium,  
licet raro, probum educat. Verum ea dicuntur male qua de rebus  
illicitis quidem quas tamen ob certas cauſſas magiſtratus tolerare cogi-  
tur ſunt condita, & de hiſce eſt quaëſtio. Optandum quidem eſſet, eas-  
dem ut magiſtratus ſemper eradicare poſſet immo eradicanda ſunt, ſine  
detrimento Reipubl. ſi fieri poteſt. Quia vero cum malis plerumq;  
bona extirpantur, & ex mutatione ſæpe majus malum naſcitur,  
non raro etiam deteriora retinentur. Male igitur leges conſervan-  
tur ad majus malum evitandum. Quamvis enim non ſint faciendâ mala  
ut inde eveniant bona, tamen ut dictum hoc de act:one ſpontanea non  
mixta intelligendum eſt: ita bonus magiſtratus quoque quoad fieri  
poteſt ſumma ope nititur, ne mala conſuetudo in Reipubl. intro-  
ducatur. Introductam vero ſi invenerit adeo ut ſine damno extremo  
Reipubl. tolli nequeat, tolerat eam ut dixi tam diu, donec occaſio eam ſine  
damno delendi ſeſe offerat. Melius namq; eſt aliquam Reipubl. quam  
plane nullam habere.

#### QUAESTIO QUARTA.

An ſucceſſor acta, geſtaq; anteceſſoris rata habere,  
& promiſſa complere teneatur.

<sup>P</sup> Nihil in omni genere vite, & maximè in principe magis necessari-  
um eſt quam fides. Candide ipſi agendum eſt, ut & cautè & probè.  
Cum fide enim omnis humana ſocietas tollitur. Romani, ut refert  
Agellius lib. 20. N. A. c. 1. omnibus quidem virtutum generibus exer-  
cendis, ſed omnium maximè atq; præcipuè fidem colendo tam pu-  
blicè quam privatim ad tantam amplitudinem pervenerunt. Fides  
autem in ſervandis promiſſis magnam partem conſiſtit, ſiquidem nihil  
tam convenit humane fidei, quam ſervare pacta.

Hinc oritur quaëſtio, an ſucceſſor acta & geſta anteceſſoris re-  
vocare poſſit, ubi reſpondendum I. illa que anteceſſor ipſe reve-  
care potuiſſet, à ſucceſſore retractari poſſunt, cum juramentum & con-  
tractus à defuncto factus, ſæpe non obliget hæredem. Poteſt autem  
revocare, que ex propria liberalitate nullius cauſſe intuitu donavit con-  
ceſſit, promiſit.

B 2

II. Ille



*II. Illæ donationes revocari possunt, quæ vergunt in detrimentum Reipubl.*

Licet enim fama & auctoritas antecessoris successori cara esse debeat; carior tamen sit salus Reipubl. Ideoq; immodicæ donationes à successore retractari possunt. Sic Fridericus I. Imperator cum Italiae leges reformaret, eos tantum in possessione reliquit, qui legitimam regum donationem probare possent Sigon. 12. hist. Ital. Sic Matthias I. rex Ungariæ coactus fuit rogatione populi, donationes Ladislai, & nonnullas etiam ex suis irritas facere. In decret. II. vers. Et quod nos omnes. Bonfin dec. 4. lib. 7.

Quando vero nullum Reipubl. est periculum, tutius est, ut donatio valeat, quo principis fama servetur, quod si non observaverit successor suos tum segniores ad serviendum efficiet, tum actis suis reliquis fidem detrahet. Quod enim eum in factis antecessoris facere vident, idem timebunt in hujus, siquidem quod huic jus esse cernunt, idem putabunt futurum successori.

### Q U Æ S T I O Q U I N T A. *An contractum antecessoris possit rescindere successor.*

Pro decisione questionis distinguendum est inter res fisci & ærarij. Illæ principis quasi propriæ & privatæ sunt, inq; ejus patrimonium censentur. Quæ igitur ad fiscum principis privatam pertinent ad ea quasi contractu obligatur is tantum, qui fisci hæres est, cum defunctus & hæres una persona sint, possuntq; convenire & conveniri. Ubi notandum quod aliud sit succedere in feudo, & aliud in hereditate, quam distinctionem explicat Arnif. lib. 1. de I. M. c. 7.

Deinde quando contractus intervenit, nisi vergat in summum detrimentum, Reipubl. ideo etiam obligatur successor, quia non est major potestas in hoc quam in antecessore, & in contractibus princeps subit locum privati. Jam vero lex naturæ jubet, ut bonæ fidei contractus servetur. Quæ autem Legis naturæ sunt, ea princeps etiam plenitudine potestatis usus jure percurrere non debet.

Similiter, si contractus fuerit factus nomine dignitatis & utilitatis publicæ, ibi uti in regno; ita etiam in oneribus successor succedit. Dignitatis



tatis vero nomine contrahuntur, quæ contrahuntur de re perti-  
nente ad ipsam dignitatem. *At contracta nomine dignitatis, non in  
personam, sed in rem sunt contracta, ideoque cum personâ non moriuntur,  
sed in successores transeunt.* Dignitas enim non moritur, nec con-  
tractus extinguitur qui ejus nomine celebratus erat. *Et hæc verissi-  
ma sunt clausulâ semper subintellecta: si nihil sit in contractu honestatis,  
vel utilitati publicæ contrarium.*

## QUÆSTIO SEXTA.

### *An multa liceant Regi, quæ non oportet?*

Principium practicum ex lege naturæ haustum est: *omnia  
refer ad honestatem.* Non enim omne, quod libet, *sed quod licet faci-  
endum est; immo nec omne quod licet, sed quod decet.* Multa enim  
sunt, quæ per leges licent nec tamen honesta sunt. Hic distinguitur  
legitimus rex à tyranno; hic *nulla habitâ vel boni, vel honesti vel utilis  
ratione, eo tantum ruit quo à voluptatibus vocatur, à cupiditatibus agi-  
tur, denique nihil sibi propositum habet, nisi quod libet.* Rex autem  
*verus ne ea quidem vult, quæ sibi licent.* Ut igitur homini privato  
multa licent, quæ non decent, *quemadmodum licet contrahentibus se cir-  
cumvenire, nisi alter defraudatus sit ad dimidium precium, qua tamen  
per rursione legum conscientia delinquentis non excusatur: Nam  
v. editor emtori rei vendibilis defectum & vitium indicare tenetur;*  
*sic etiam Regi multa licent, quæ non oportet.* Licet Regi filios subdi-  
torum tollere & ponere in curribus suis, *facere ex iis sibi equites &  
præcursores quadrigarum suarum, constituere sibi tribunos, & centu-  
riones & aratores agrorum suorum, & messorum segetum & fabros  
armorum & curruum suorum &c.* Quis enim hæc agenti dices:  
*Quid agis? aut quis rationem exiget ab eo, qui cælo soli habet ratio-  
nem reddere.* Sed hisce posthabitis verus & optimus Rex licentiæ  
sue infinitæ modum ponit, *& illud solum quod decet attendit.* Nam  
*Per quod Tyrannus à bono principe distinguitur illud Regi competere non  
potest, cum etiam Rex sit bonus princeps.* Atqui per illud: *omne quod li-  
bet distinguitur tyrannus à bono principe, qui curat non quod libet,  
sed quod decet.* E. illud quod libet principi, & p. c. Regi convenire  
non



non potest. *Distinctio hæc inter licentiam & officium regis egregiè nobis describunt sacræ literæ.*

*Officium describitur Deut. 17. vers. 14. 15. 16. & seqq. ne scilicet sibi multiplicet equos, uxores &c. nec eleuetur cor ejus super fratres ipsius; sed legat legem Dei omnibus diebus vitæ suæ. Licentia habetur 1. Sam. 8. v. 11. Hoc erit jus Regis qui regnaturus est super vos: Filios vestros tollet, & ponet eos sibi incurribus suis &c.*

*Concluditur ergo quæstionis affirmativa tum sacris ex literis, tum principijs politicis. Rex enim gaudet majestate & potestate summâ nec non inviolabili. Illa potestas collocatur in libertate; Libertas vero ad illicita se non extendit.*

### QUÆSTIO SEPTIMA.

*An princeps ea, quæ summæ Majestatis sunt, possit concedere subditis.*

*Negativa quæstionis thesis defenditur: Donatio facta subdito incapaci inutilis est. Atqui subditi sunt incapax subjectum summæ Majestatis; quia nequeunt recipere ea, quibus ab obedientia eximantur, alioquin non mansuri inter subditos. Et si vel maximè eos eximere velit princeps, vix potest, cum Principi non liceat Rempubl. facere deteriolem, imprimis si ipse nervus, in quo Reipubl. salus vertitur, e o modo dissolvatur. Ergo donatio ejusmodi subditis facta est inutilis. Unde libertas subditis concessa semper intelligenda est cum clausula: salva superioritate vel: salvo jure imperij. Sed specialior hujus quæstionis tractatus à ICTIS est petenda.*

### QUÆSTIO OCTAVA.

*An Majestas jus naturæ vel ex toto vel in parte tollere possit.*

*Jus naturæ esse sanctillulam divinam mentis post lapsum in mentibus hominum relictam, qua inter honesta & turpia distinguimus, quilibet sanus perspectum habet & exploratum. Nam sicut in oculo vis quadam est colorum discretrix: ita in mente deprehendimus naturalem facultatem, quæ contraria objecta inter se, bona à malis, honesta à turpibus secernere novit ex tuius judicio, modo non sit falsa opinione*  
pra oc-



reoccupatum dependet illud jus, quod quærimus, quod sicut recta-  
ratio eadem est apud omnes gentes, ita & ubique quantum quidem hu-  
manæ fert conditio, immutabile est, ut ex Aristotele & rectaratione  
discitur. *Arifæus lib. 2. de Jur. Majest. c. 3. s. 10.*

Unde facilius è colligere quilibet poterit, illam legem à nemine  
morum ulla parte immutari posse. Lex illa nihil aliud est, quam  
recta ratio & fundamentum virtutum. Unde quicquid contra illud  
peragitur, vitiosum est, & contra rectam rationem. Cujus enim con-  
tra est bonum illud ipsum est malum, & per consequens nulla ra-  
tione defendi, vel subsistere potest. Iniquissima igitur illa lex, quæ  
inimicis sine causa occidere permittit. Est iniqua lex Guilielmi I. Regis  
Lia; ne fas sit patri sine licentia Regis filiam elocare. Quæ namq; in  
dominio nostro sunt, princeps ad se amovere non potest, & nihil  
tam naturale est, quam ut liberum suum arbitrium habeant, quos lex &  
natura liberos esse sinit; imprimis in eligendo conjugio, cujus vota  
unicuiq; debent esse libera. Conclusa igitur legitimè est quæstionis  
negativa.

*Et his quæstionibus in absolutam Majestatis po-  
tatem inquirere volumus: Deo nostro à quo o-  
mnis majestas dependet, sit*

**LAUS HONOR & GLORIA.**









21 mg. VI 37

ULB Halle  
003 913 872 3




Sl.

V3 17











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



ENE VERTAT,  
POLITICAM

ATIS  
POTE-

EBERGENSE  
IA

UR

TROZITH

INZ, LI-

AWA &c.

KIO Coloniensi  
Philosophi-

membris

R G Æ

JOHANNIS

I.

XVI.



h. III. 1188  
1212

